



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Caput I. Spei notio, & obligatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

Etiam pro his quædam in jure statutæ inven-  
iuntur pœnæ. 1. Qui ordinem deserit, simul-  
que sacrum habitum seponit ipso facto majore  
excommunicatione innodatur (cap. 2. *ne Clerici,*  
& *Monachi* in 6.). 2. Qui retento habitu  
solum ab ordine abscedit excommunicationi vel  
latæ, vel ferendæ sententiæ subjacet, prout  
nempe cujusque religiosi instituti leges denotant.  
3. Excommunicationem quoque latæ sententiæ  
incurrunt vagabundi, qui nempe animo solum  
vagandi quoad tempus monasterii septa deserunt  
(cap. cit.). Scandalis propemodum infinitis,  
quæ a circumerrantibus hisce monachis per  
provincias propagantur, omnes istæ pœnæ, his-  
que majores debentur. Sed de his plura Ca-  
nonistæ.

---

## SECTIO II.

DE

SPE ET VITIIS OPPOSITIS.

### CAPUT I.

*Spei notio, & obligatio.*

Fuerunt, qui spem a cæteris virtutibus Theo-  
logicis non distinxerunt. Ab his moderni  
heretici non multum differunt, dum spem cum  
fide confundunt, omnesque sola confidentiali in  
Christum fide salvari contendunt. *Alit sanctus*

E e 4

Paulus

Paulus spem a fide distinctam recenser (Cor. 13.), ac communis hæc doctrina semper in Ecclesia viguit (a).

Est autem spes virtus Theologica, qua Deum ceu futuram beatitudinem nostram auxilio dante non fulti secure expectamus.

Objectum spei *primarium* ipse Deus est, *secundarium* divinum auxilium aliaque media quibus ad Deum ceu beatitudinem finalem pertingere homo potest. Motivum spei, seu ratio ad sperandum nos inducens, Dei promissio omnipotens fidelitas, ac fidelis Omnipotentia est. Qua *omnipotens* promissa dare potest, qua *fidelis* eadem dare vult, ac infallibiliter dabit.

(a) Pulchre id sanctus Thomas declarat. „ Dicitur  
 „ dum (inquit 2. 2. quæst. 17. art. 4.) quod  
 „ virtus aliqua dicitur esse Theologica ex hoc  
 „ quod habet Deum pro objecto, cui inhæret.  
 „ Potest autem aliquis alicui inhære dupliciter  
 „ uno modo propter se ipsum: alio modo  
 „ quantum ex eo in aliud devenitur. Caritas  
 „ ergo facit hominem Deo inhære propter  
 „ ipsum, mentem hominis uniens Deo per affec-  
 „ tum amoris: spes autem & fides faciunt ho-  
 „ minem inhære Deo, sicut cuidam principio  
 „ ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo enim  
 „ tem provenit nobis & cognitio veritatis, &  
 „ adeptio perfectæ bonitatis. Fides erga factum  
 „ hominem inhære Deo, in quantum est nobis  
 „ principium cognoscendi veritatem. Spes  
 „ autem facit Deo adhære, prout est nobis  
 „ principium perfectæ bonitatis, in quantum  
 „ per spem divino auxilio innitimur ad beatitu-  
 „ dinem obtinendam.

nisi desidia nostra obicem ponat, hisque bonis indignam se reddat. Hinc est, quod Psalmista canat: *Spera in Domino, & fac bonitatem* (Psalm. 36.). Et: *In te Domine speravi, non confundar in æternum* (Psalm. 30.). Quantum potentia divina humanam, tantum spes divina quaecumque humanam sua securitate excedit. Aberrant proin, qui Dei propemodum oblitii in filiis hominum, in quibus non est salus, spem suam collocant; quasi futura nulla essent, presentibus hisce ac mundanis bonis inhaerent. Nihilominus post Deum etiam in homine veluti Dei instrumento moderatam spem reponere licitum est, hocque causarum secundarum subordinatio exigit, & sana ratio dicat.

Spes Theologica fidei innititur, hujusque motivum fidei motivum supponit: unde, qui fide carent, infideles & hæretici spem veram habere non possunt. Econtra, qui fidem servant, peccatores amissa caritate adhuc spem, informem licet, retinere valent; quia spei fundamentum, quod fides est, illiusque motivum, quod in Omnipotentia auxiliatrice consistit, in malis ejusmodi subjectis locum habet: hinc fiet fides, ita & spes recte in *formatam* & *informem* a Theologis dividitur (a). Vid. pag. 131. & seq.

Quem-

(a) Hæcque spes vera, non presumptio est. Sperare beatitudinem *obtinendam sine caritate* presumptuosum est; non vero sperare sine caritate beatitudinem *obtinendam per caritatem*. In casu nostro

Quemadmodum fidei & caritatis, ita & spe  
 præceptum sæpius per vitam obligat (a)  
 Utriusque testamenti paginæ hoc clare insinuat.  
*Sperate in eo omnis congregatio populi* (Psal.  
 65.). *Sperate in eam, quæ vobis offertur*  
*gratiam* (2. Pet.). Temporis punctum, quod  
 obligationi huic satisfaciendum, accurate adeo  
 designari non potest, prout jam supra de præcep-  
 to caritatis & fidei innuimus. Opportunum  
 præprimis spei exercitium erit, 1. Cum de pec-  
 catis pœnitere, nosque ad justificationem præ-  
 parare tenemur (Trid. Sess. 6. de *Justificati-*  
*one* cap. 6.). 2. Cum gravi desperationis tentatio-  
 ne invadimur; quia contraria contrariis pellun-  
 tur. 3. Cum maxima nos undequaque mala  
 premunt. *Nam tribulatio* (ait Apostolus Rom.  
 4.) *patientiam operatur, patientia autem pro-*  
*bationem: probatio vero spem.* Et Psalmista:  
*Sperantem autem in Domino misericordia cir-*  
*cumdabit* (Psal. 31.). 4. Cum mortis  
 articulus imminet; tunc enim ex periculoso mari  
 hujus ad salutis portum, terramque deli-  
 derabilem appellendi tempus instat; spem igitur  
 apprehendam oportet, *quam sicut anchoram*  
*habemus animæ tutam, ac firmam* (Hebr. 6.).  
 Validius, ac per totam vitam, tunc tentatio  
 insister; frustraneus tamen hic assultus abibit.

nostro hoc secundo, non primo modo peccator  
 sperat.

(a) Alexander VII. hanc damnavit propositionem:  
*Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur ob-*  
*tere actum fidei, spei, & caritatis ex vi præcepto-*  
*rum divinorum ad eas virtutes pertinentium num. 5.*

si crucifixi imaginem intuens, aut manu tenens  
eger respondeat: *Si exurgat adversum me  
prælium, in hoc ego sperabo (Psalm. 26.)*.

CAPUT II.

*Præsumptionis vanitas, ac desperationis  
horror exponuntur.*

Desperatio & præsumptio spei opponuntur;  
hæc quidem per excessum, illa per defe-  
ctum nobilem istam virtutem destruit.

Præsumptio quæcumque inordinata voluntas  
est aggrediendi ea, quæ proprias vires excedunt;  
prout tamen hic spectatur, est inordinata seu  
temeraria beatitudinis, & mediorum illuc con-  
ducentium expectatio. Duplici ex capite teme-  
raria isthæc expectatio evadit, 1. cum homo  
nativis suis viribus, ac virtutibus æternæ beati-  
tudinis mercedem deberi elate confidit; 2. cum  
homo peccator ita divinæ misericordiæ vel po-  
tentia innititur, ut peccatorum veniam sine  
penitentia, vel gloriam sine meritis sibi confe-  
rendam confidat. Illa prior ex vana gloria, hæc  
posterior ex superbia oritur; dum nempe homo  
ita se æstimat, ut se etsi peccatorem nec venia,  
nec gloria indignum existimet. Utraque, si  
perinaciter intellectus judicio sit juncta, sive pela-  
gianam, sive calvinianam hæresim spirat; di-  
stinctamque peccati gravitatem habet: si vero  
istud judicium desit, solaque praxi inordinate  
quis confidere videatur, præsumptio simplex  
erit,